



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXIX. Sanguis Christi patientis & crucifixi ab impiis
proculcatus, & sicut aqua effusus, quid nobis insinuet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

tum ac cruentatum consideramus, jure merito fateri & dicere possumus illud Davidis: *Sicut aqua effusus sum*. Et quemadmodum aqua effunditur, ac projicitur, sine cura, & sine circumspeditione, pedibusque pretereuntium proculcatur: ita divinissimus Sanguis Christi JESU à flagellatoribus in dirissima illa laniena, ac præsertim in crucifixione pedibus impiorum proculcatus est. O Domine JESU! nunquid hic in veritate dicere poteras: *Qua utilitas in Sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Hoc idem dicit cuilibet Christiano indignè communicanti: *Qua utilitas in Sanguine meo*. Sacramentaliter sumpto, *dum descendo in corruptionem*, id est in corruptum peccatorem, ah quæ utilitas! an non hoc est corpus & Sanguinem Christi de novo proculcare?

Psal. 29. 10.

2. Mirificum Christi amorem erga genus humanum abunde erubet probat, quia in ea pro nostra salute omnium tormentorum generatim perpeffus est. Passus est manus, pedesque dirissimis transverberari clavis, vestes à carnificibus dividi, ac per sortem occupari; diffractis venis sanguinem effundi, ossa distrahi, cor vulnerari, aures blasphemiiis lancinari &c. *Numerata stellas, si potes*, numerata omnia pœnarum genera, quæ pro tua salute sustinuit amantissimus Salvator tuus JESUS, numerata, inquam, si potes, proinde non immeritò per os Prophetæ Regii conquestus est: *Sicut aqua effusus sum*. Ergo apud te non plus valeat crucifixus JESUS: *Sicut aqua effusus sum?*

Psal. 21. 15.

Fuit autem Sanguis Christi proximè & immediatè prout loquuntur Theologi, unitus Verbo Dei, quia infiniti erat valoris, & cui redemptionis nostra tribuitur tanquam condigno pretio; hinc Christus in cœna ultima consecrans calicem dixit: *Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis* (pro omnibus qui omnes sunt multi) *effundetur in remissionem peccatorum*.

Matth. 26.
28.

Gen. 2. 10.

3. Ex paradiso fluxerunt quatuor flumina ad irrigandum, mundandum, sanandum orbem terrarum inaquosum: In Calvario monte invenies hæc quatuor flumina in perforatis manibus ac pedibus pretiosissimi Salvatoris nostri, & in medio hujus divini paradisi, hoc est in dextro latere ascendit fons irrigans universam superficiem terræ.

Quam ergo indignum fuit pretiosissimum Sanguinem Verbo Dei unitum instar vilis aquæ effundi, luto hæreret, pedibus carnificum & petulantis turbæ proteri, cum esset adorandus latrâ, ut Sanguis Dei, cujus pretium comprimis agnovit B. Virgo & Mater Dolorosa, quæ divinissimum hunc Sanguinem ex transfixo Christi pectore manantem cum S. Joanne religiosè & honorificè in aliquo vasculo excepit, & pro suo solatio sibi reservavit, prout auctor est Nicephorus, quod & S. Maria Magdalena fecit, quæ vitrum plenum juxta crucem ex terra, quam

Niceph. lib. I.
cap. 30.

quam Christus suo sanguine rigabat, impleverat, de quo Sacratissimo Dominico cruore perhibent Auctores gravissimi, quòd in die Parasceves in antro S. Magdalena coram omni populo ebullire soleat, quasi recens fusus esset. Collige ex hoc immensum in nos amorem crucifixi Redemptoris, qui nihil sibi reservavit, cum etiam post mortem, quidquid refederat in corde Sanguinis, emisit: *Ex hoc*, ait S. Cyprianus, *fonte lateris non solum ablutionis primæ undas haurimus, sed & compunctio-* duplici mar-
nis, & lacrymarum perennes effluunt rivi, misericordiarum suavitas, & totius tyrio.
pietatis affectus.

4. Achab Rex Israel, quia dimisit Benedad Regem Syriæ, qui ob bellum Israelitis injustè illatum, ac præcipuè propter blasphemias in DEum effusas reus erat mortis, à Michæa Propheta ex parte Dei audire debuit: *Hac dicit Dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu* 3. Reg. 20.
tua, erit anima tua pro anima ejus 42.

O JESU crucifixe, verus Rex Israel, quia dimisisti Adamum, qui reus erat mortis, erit nunc anima tua pro anima ejus, imò pro omnibus. O pomum quantulares! ô malum, à quo omne malum, cujus unicus morsus DEO incarnato ah quantas inflixit pœnas: *Insurrexerunt in me*, ait Ecclesia in Missa de Passione Domini, *viri iniqui, & absque misericordia, quaesierunt me interficere, & actu interfecerunt.* O terra hæc sustines, quæ non Abelis, sed divinum Sanguinem suscepisti! ô bone JESU! non solum sicut aqua effusus es, sed & amor tuus, sicut aqua, effusus est, quia omnes rivi Sanguinis sunt in cruce aperti; ô anima Christiana! in hæc te abjice flumina, merge, submerge, nunquam felicius enatabis, quàm cum hic submersa fueris.

5. David vir secundum cor Dei multa præcognovit arcana & salutis nostræ mysteria: *Incerta & occulta sapientia tua manifestasti mihi; inter* Psal. 50. 8.
alia superiori lumine illustratus de Christo vaticinatus est: Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tua. Et quænam illa pluvia voluntaria, & hereditati Domini tam necessaria? R. S. Joannes: *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, JESUS Christus non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.* Salmeron hic observat Christum ubique sanguini aquam miscuisse, videlicet lacrymarum in circumcisione, in sudore sanguineo, in flagellatione, in cruce ante mortem: *Cum lacrymis se offerens, in* Hebr. 5. 7.
transfixione SS. Cordis sui. Et hæc erat illa pluvia voluntaria hereditati Domini segregata. Anima Christiana, contemplare crucifixum Salvatorem tuum manibus ac pedibus infelici ligno affixum; contemplare, inquam, illum à planta pedis usque ad verticem capitis, & quid videbis nisi pluviam voluntariam ex omnibus corporis membris in salutem nostram promanantem; & licet ab impiis pedibus pro-

teratur, nos tamen clamamus: *Sanguis ejus super nos, & super animas nostras; redemisti enim nos Deus in sanguine tuo.*

Exod. 17. 6.
B. Theod. q.
27. in Ex.

6. Murmurabat quondam populus in gravissima siti: Moyfes ut huic malo inveniret remedium, ad DEum se contulit, cujus jussu petram in Raphidim virgâ suâ percussit, ex qua abundantes profluxerunt aquarum fontes: *Percuties petram, & exibat ex ea aqua.* Supra quod B. Theodorus: *Aqua, quæ de petra egressa est, typum Sanguinis Salvatoris præferens, qui in petroso Calvariæ monte usque ad ultimam stillam in salutem nostram effusus est: Sicut aqua effusus sum.*

Job. 1. 20.
S. Jo. Chryf.
ho. de Job,

7. Job in summa calamitate sua, ubi omnia perdidit, & toto corpore plagatus sedebat in sterquilinio, *scidit vestimenta sua.* Supra quod S. Chrysostomus: *Dirupit vestem, quâ indutus erat, diaboli rapacitatem confundens, gloriaturque contra tentantem, ostendens ei quod majora sustinere queat.* Christus cruci inclavatus, cernens se vestes suas jam assignasse militibus crucifixoribus, latroni paradisum, Matrem Joanni, Patri spiritum, peccatoribus veniam, totum corpus carnificibus, cor suum sentiens adhuc esse integrum, illud quoque crudeli lanceâ transfigi permisit, ut ex eo Sanguis & aqua promanans nos à peccatorum ablueret sordibus. Et nunquid si quis poculum ab aliquo liquore præexistente nitidè vult emendare, illud aquâ tandem abluit, ut sic indicet nullum amplius in eo vase inesse humorem. Hoc & Christus in cruce fecit, desiderans vas cordis sui ab omni sanguine detegere, & quia nihil amplius habuit, tandem aquâ usus est, ut sic nihil remaneret, quod pro nobis traderet. O immensa charitas! ô prodigium amoris. Verè qui te non amat Domine JESU, anathema sit.

Gen. 4. 10.
S. Gregor. lib.
13. Mor. c. 9.

8. De sanguine Abel supra terram à Cain effuso dicit Scriptura: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Sed sanguis JESU, ait S. Gregorius, melius loquitur, quàm sanguis Abel, quia sanguis Abel mortem fratris fratricidæ petiit, sanguis autem Christi vitam persecutoribus impetravit. Et si Elephantès viso sanguine ita exandescunt, ut in medios irruant hostes, & aperta vitæ subeant discrimina; quantò magis animare nos debet Sanguis JESU Christi pro salute nostra crucifixi? Ex his omnibus collige, anima Christiana; Ecce quomodo Salvator tuus amaverit te, dum unicâ guttâ sudoris, unicâ lacrymulâ, gemitu uno te potuisset ab interitu redimere, oceanum tamen passionum pro te sustinuerit; Et cui tu tuum impendis amorem?

Væ tibi si JESUM non amaveris.